

Cäsar – De bello Gallico VI.12: Die Sequaner unterwerfen mit Hilfe der Germanen die Häduer

Cum Caesar in Galliam venit, alterius factionis principes erant Haedui, alterius Sequani.

Hi cum per se minus valerent, quod summa auctoritas antiquitus erat in Haeduibus magnaeque eorum erant clientelae, Germanos atque Ariovistum sibi adiunxerant eosque ad se magnis iacturis pollicitationibusque perduxerant.

Proeliis vero compluribus factis secundis atque omni nobilitate Haeduorum interfecta tantum potentia antecesserant, ut magnam partem clientium ab Haeduibus ad se traducerent, obsidesque ab iis principum filios acciperent et publice iurare cogerent nihil se contra Sequanos consilii inituros, et partem finitimi agri per vim occupatam possiderent Galliaeque totius principatum obtinerent.

Qua necessitate adductus Diviciacus auxilii petendi causa Romam ad senatum profectus infecta re redierat.

Adventu Caesaris facta commutatione rerum, obsidibus Haeduibus redditis, veteribus clientelis restitutis, novis per Caesarem comparatis, quod ii qui se ad eorum amicitiam adgregarant, meliore condicione atque aequiore imperio se uti videbant, reliquis rebus eorum gratia dignitateque amplificata Sequani principatum dimiserant.